



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De sacramento pœnitentiæ. Quæstio 84.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

laicus est; clerici vel monachi seu diaconi & presbyteri, septuaginta diebus pœniteant; Episcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant. Et in eadem dist. legitur ex Concil. Arelat. † Qui non bene custodierit * sacramentum, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdidit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadē pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrescunt. Prædictis autē diebus debet pœnitens ieiunare, & a communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij, & personæ potest minui vel addi ad pœnitentiā prædictā. Hoc tamen obseruandum est, quod ubicumque species integræ inueniuntur, sunt reuerenter conferuandæ, vel etiam sumendæ: quia manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, ut supra dictum est *. Ea vero, in quibus inueniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacratio recondito: sicut de rasura tabulæ dictum est *.

QVÆST. LXXXIV.

De sacramento pœnitentiæ, in decem articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de sacramento pœnitentiæ. Circa quod primo considerandum est de ipsa pœnitentia. Secundo, de effectu ipsius. Tertio, de partibus eius. Quarto, de suscipientibus hoc sacramento. Quinto, de potestate ministrorum, quæ ad clauis pertinet. Sexto, de solēnitare huius sacramenti.

¶ Circa primum duo consideranda sunt. Primo de pœnitentia, secundum quod est sacramentum. Secundo, de pœnitentia, secundum quod est virtus.

Circa primum queruntur decem.

- ¶ Primo, utrum pœnitentia sit sacramentum?
- ¶ Secundo, de propria materia eius.
- ¶ Tertio, de forma ipsius.
- ¶ Quarto, utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum?

¶ Quinto

*e. ad. d. 2.
c. qui bene
no. cu-
stodierit.
* ad sacri-
ficium.*

*q. 77. a. 5
et locis
ibi cita-
tis.
in istius
sol. prin.*

- ¶ Quinto, utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis?
- ¶ Sexto, de ordine eius ad alia sacramenta.
- ¶ Septimo, de institutione eius.
- ¶ Octavo, de duratione ipsius.
- ¶ Nono, de continuitate eius.
- ¶ Decimo, utrum possit iterari?

ARTIC. I.

Utrum pœnitentia sit sacramentum?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non sit sacramentum. Greg. enim dicit, & habetur in decret. * 1. q. 1. Sacramenta sunt baptismus, chrisma, corpus & sanguis Christi: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secrete operatur salutem in eis. Sed hoc non contingit in pœnitentia: quia non adhibentur aliqua corporales res, sub quibus diuina virtus operetur salutem. Ergo pœnitentia non est sacramentum.

510
4. d. 14 q.
1. ar. 1. q.
1. d.
22. qu. 2.
a. 3. q. 2.
cor
* refertur
1. q. 1. c.
multi secularium,
cir. me. 20

¶ 2 Præterea, Sacramenta Ecclesiæ à ministris Christi exhibentur: secundum illud 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Sed pœnitentia non exhibetur à ministris Christi: sed interius à Deo hominibus inspiratur, secundum illud Hierem 31. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam. Ergo videtur, quod pœnitentia non sit sacramentum.

¶ 3 Præterea, In sacramentis, de quibus iam supra diximus*, est aliquid, quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res & sacramentum: aliquid vero, quod est res tantum, ut ex præmissis patet*. Sed hoc non inuenitur in pœnitentia. Ergo pœnitentia non est sacramentum.

qu. 66.
9. 66. A. 2

SED contra est, quod sicut baptismus adhibetur ad purificandum à peccato, ita & pœnitentia. Vnde & Petrus dixit Simoni, Act. 8. Pœnitentiã age ab hac nequitia tua. Sed baptismus est sacramentum, ut supra habitum est*. Ergo pari ratione & pœnitentia.

9. 66. A. 1

RE-

refertur
loc cit. in
arg. 1.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Greg. * dicit in cap. supradicto. Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid significatiue accipiamus quod sancte accipiendum est. Manifestum est autem, quod in penitentia ita res gesta fit, quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris penitentis, quam ex parte sacerdotis absoluētis: nam peccator penitens, per ea quae facit & dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse. Similiter etiam sacerdos per ea quae agit & dicit circa penitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifestum est, quod penitentia, quae in ecclesia agitur, est sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles: qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius: sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad poenam: & in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti: & in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quae prouenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Vnde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum: sed dispositiue se habent ad sacramenta.

* al. actus
humani
sensibiles.

In illis autem sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi * actus humani sunt loco materiae, ut accidit in penitentia & matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra & electuaria: quaedam uero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam.

Ad secundum dicendum, quod in sacramentis, quae habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro ecclesiae, qui
gerit

gerit personam Christi, in signum, quod excellen-
tia virtutis in sacramento operantis est à Christo. *in solue.*
In sacramento autem penitentiae (sicut dictum est*) sunt actus humani, pro materia, qui proueniunt ex *preced.*
inspirazione interna. Vnde materia non exhibetur
à ministro, sed à Deo interius operante. Sed com-
plementum sacramenti exhibet minister, dum peni-
tentem absoluit.

Ad tertium dicendum, quod etiam in penitentia
est aliquid, quod est sacramentum tantum, scilicet
actus exterius exercitus, tam per peccatorem peni-
tentem, quam etiam per sacerdotem absoluentem: res
autem & sacramentum, est penitentia interior pec-
catoris: res autem tantum & non sacramentum, est
remissio peccati. Quorum primum totum simul sum-
ptum est causa secundi: primum autem & secundum,
sunt quodammodo causa tertij.

ARTIC. II.

*Utrum peccata sint propria materia huius
sacramenti?*

511

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod pec-
cata non sint propria materia huius sacramen-
ti. Materia enim in alijs sacramentis per aliqua ver-
ba prolata sanctificatur, & sanctificata effectum sa-
cramenti operatur. Peccata autem non possunt san-
ctificari, eo quod contrariantur effectui sacramenti,
qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non
sunt materia propria huius sacramenti.

¶ 1 Præterea, Aug.* dicit in lib. de penit. Nul-
lus potest inchoare nouam vitam, nisi eum veteris vi-
tæ peniteat. Sed ad vetustatem vitæ pertinent non so-
lum peccata, sed etiam pœnalitates præsentis vitæ. *ca 2 non
longè à
prin. 10. 9*
Non ergo peccata sunt propria materia penitentiae.

¶ 2 Præterea, Peccatorum quoddam est originale,
quoddam mortale, quoddam veniale. Sed penitentiae
sacramentum nõ ordinatur contra originale peccatũ
quod tollitur per baptismum; neque contra peccatũ
mortale, quod tollitur per cõfessionẽ peccatoris; nec
etiam

etiam contra veniale, quod tollitur per transfusionem pectoris, & per aquam benedictam, & alia huiusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia pœnitentiæ.

SED contra est, quod Apostol. dicit 2. Cor. 12. Non egerunt pœnitentiam super immundicia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est materia, scilicet proxima & remota: sicut statua proxima materia est metallum, remota verò aqua. Dicitur est autem*, quod materia proxima huius sacramenti sunt actus pœnitentis: cuius materia sunt peccata, de quibus dicitur, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Unde relinquitur, quod remota materia pœnitentiæ, sunt peccata, non accéptanda, sed detestanda & destruenda.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de proxima materia sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod vetus & mortalis vita est obiectum pœnitentiæ, non ratione pœnæ, sed ratione culpæ annexæ.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere: non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortalis est pœnitentia proprie & principaliter. Proprie quidem, quia proprie dicitur pœnitere de his quæ nostra voluntate commisimus. Principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis, hoc sacramentum est principaliter institutum. De peccatis autem venialibus est quidem pœnitentia proprie, in quantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra hæc principaliter est hoc sacramentum institutum. De peccato verò originali, pœnitentia nec principaliter est, (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus) nec etiam proprie: quia peccatum originale nõ est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apost. dicit Rom. 5. In quo

ar p. 1. a. 1. 2.

quo omnes peccauerunt. In quantum tamen large accipitur penitentia pro quacumque detestatione rei praterita, potest dici penitentia de peccato originali: sicut loquitur Aug. * in lib. de penitentia.

ARTIC. III.

Utrum hæc sit forma huius sacramenti, Ego te absoluo?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit forma huius sacramenti. Ego te absoluo. Formæ enim sacramentorum ex institutione Christi & Ecclesiæ vsu habentur. Sed Christus non legitur hanc formam instituisse, neque etiam in cõmuni vsu habetur; quinimmo in quibusdam absolutionibus, quæ in ecclesiâ publice fiunt (sicut in Prima & Completorio, & in cena Domini) absolvens non vitur oratione indicatiua, vt dicat, Ego vos absoluo; sed oratione deprecatiua, cum dicit, Misereatur vestri omnipotens Deus, vel, Absolutionem & remissionem tribuat vobis omnipotens Deus. Ergo hæc non est forma huius sacramenti, Ego te absoluo.

¶ 2 Præterea, Leo Papa dicit, quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri. Loquitur autem de indulgentia Dei, quæ præstatur penitentibus. Ergo forma huius sacramenti debet esse per modum deprecationis.

¶ 3 Præterea, idẽ est absoluerẽ a peccato, quod peccatũ remittere. Sed solus Deus peccatũ remittit, qui etiã solus interius hominẽ a peccato mundat: vt Aug. dicit super Io. * Ergo videtur, quod solus Deus a peccato absoluat. Non ergo debet sacerdos dicere, Ego te absoluo, sicut non dicit, Ego tibi peccata remitto.

¶ 4 Præterea, Sicut Dominus dedit potestatem discipulis absoluendi a peccatis: ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates, & vt daemonia eijcerent, & vt languores sanarent, vt habetur Math. 10. & Luc. 9. Sed sanando infirmos Apostoli non viebantur his verbis, Ego te sano; sed, Sanet te Dominus Iesus

*in lib de
vera, &
sul pæn.
c. 8. to. 4.
& in li.
de pænito
med. c. 2.
to. 9.
S 12
4. d. 22 q.
2. 2. 4.
2. et. &
opus. 22.*

*refertur
de pæn. d.
1. c. mul.
t. pl. x. nō
procul a
pæn. &
d. v. ut es
se in. p. i.
ad P. mo.
d. r. qua
est 89. in
Leo v.
de: of. d.
4. c. 141.
et tra. 50
sup. 10 to
mo 9.*

Iesus

Iesus Christus: sicut Petrus dixit paralytico, ut habetur Act. 9. Ergo videtur, quod sacerdotes habentes potestatem Apostolis à Christo traditā, non debeant uti hac forma verborum. Ego te absoluo; sed, Absolutionem tribuat tibi Christus.

¶ 5. Præterea, Quidā hac forma videntes, sic eam exponunt, Ego te absoluo, id est absolutum ostendo. Sed nec hoc etiā sacerdos facere potest, nisi ei diuinitus reueletur. Vnde legitur Matth. 16. antequam Petro diceretur, Quodcumque solueris super terram, &c. dictum est ei, Beatus es Simon Bariona; quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Ergo videtur, quod sacerdos, cui nō est facta reuelatio, præsumptuosē dicat, Ego te absoluo, etiam si exponatur, id est, absolutum ostendo.

SED contra est, quod sicut Dominus dixit discipulis Matth. vlt. Euntes docete oēs gentes, baptizātes eos: ita dixit Petro Matth. 16. Quodcumque solueris super terrā. Sed sacerdos auctoritate illorum verborū Christi fretus dicit, Ego te baptizo. Ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc sacramēto, Ego te absoluo.

RESPONDEO dicendum, quod in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Dicitur est autem supra, quod hoc sacramētū perficitur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis. Vnde oportet, quod ea quæ sunt ex parte penitentis, siue sint verba siue facta, sint quedam materia huius sacramenti: ea verò quæ sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formæ. Cum autem sacramenta nouæ legis efficiant quod figurant (ut supra dictum est) oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur, proportionaliter materiæ sacramenti. Vnde forma baptismi est, Ego te baptizo: & forma confirmationis est, Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, eo quod huiusmodi sacramenta perficiuntur in vsu materiæ. In sacramēto autem eucharistiæ, quod consistit in ipsa consecratione materiæ, exprimitur veritas consecrationis, cū dicitur, Hoc est corpus

pus

ar. 1. hie-
tus q. a. 2.

q. 60. a. 2.
q. 62. a.
A. Q. 3.

pus meum. Hoc autem sacramentum, scilicet penitentiæ, nõ consistit in consecratione alicuius materiæ, nec in vsu alicuius materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cuiusdam materiæ, scilicet peccati: prout peccata dicuntur esse materia penitentiæ: vt ex supra dictis patet*. Talis autem remotio significatur à sacerdote, cum dicitur, Ego te absoluo. Nam peccata sunt quædam vincula, secundum illud Prouer. 5. Iniquitates sue capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quifque constringitur. Vnde patet, quod hæc est conuenientissima forma huius sacramenti, Ego te absoluo.

art. prac.

Ad primũ ergo dicendum, quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petrus dixit, Quodcumque solueris super terram, &c. & tali forma ecclesia vitur in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factæ, non sunt sacramentales, sed sunt orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium peccatorum. Vnde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere, Misereatur tui omnipotens Deus: vel, Absolutionem & remissionem tribuat tibi Deus: quia per hæc verba sacerdos absolutionem nõ significat fieri, sed petit vt fiat. Præmittitur tamen etiam in sacramentali absolutione, talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte penitentis: cuius actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo vel confirmatione.

Ad secundum dicendum, quod verbum Leonis est intelligendum quantum ad deprecationem, quæ præmittitur absolutioni: non autem remouet quin sacerdotes absoluant.

Ad tertium dicendum, quod solus Deus per auctoritatem, & à peccato absoluit, & peccatum remittit. Sacerdotes tamẽ vtrũque faciunt per ministerium: in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute diuina, sicut etiam in alijs sacramentis. Nam virtus diuina est, quæ interior operatur in omnibus sacramentalibus signis
sue

q. 62. a. 4. siue sint res, siue verba: sicut ex supradictis patet *.
 e. 64. a. Vnde & Dominus expressit vtrumque: nam Mar. 16.
 1. & 2. dixit Petro, Quodcumque solueris super terram, &c.

& 10. 20. dixit discipulis, Quorum remiseritis peccata, remittantur eis. Ideo tamen sacerdos potius dicit, Ego te absoluo, quam, Ego tibi peccata remitto: quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit, virtutem clauium ostendens, per quas sacerdotes absoluunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absoluit, conuenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scilicet vt dicatur, Ego te absoluo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; vel per virtutem passionis Christi, vel auctoritate Dei, sicut Dion. * exponit 3. cap. celest. hierarch. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquatur arbitrio sacerdotis.

e. 7. eccl.
 hier. non
 multum
 procul à
 fi. & cal.
 hier. ca-
 pit. 3.

Ad quartum dicendum, quod Apostolis non est data potestas, vt ipsi sanarent infirmos, sed vt ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter siue ministerialiter in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmitatum. In quibus tamen non semper modo deprecatiuo utebantur, sed quandoque modo iudicatio & imperatio: sicut Act. 3. legitur, quod Petrus dixit claudo, Quod habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.

Ad quintum dicendum, quod ista expositio, Ego te absoluo, id est absolutum ostendo, quantum ad aliquid quidem vera est; non tamen est perfecta: sacramenta enim nouæ legis, non solum significant, sed etiam faciunt quod significant. Vnde sicut sacerdos baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba & facta, & non solum significatiue, sed etiam effectiue: ita etiam cum dicit, Ego te absoluo, ostendit hominem absolutum non solum significatiue, sed etiam effectiue. Nec tamen loquitur quasi de re incerta: quia

quia sicut alia sacramenta nouæ legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi (licet possit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc sacramento. Vnde Aug. *dicit in lib. de adul. cõiu. Non est turpis nec difficilis, post patrata & purgata adulteria, reconciliatio cõiugij, vbi per clauas regni colorum nõ dubitatur fieri remissio peccatorum. Vnde nec sacerdos indiget speciali reuelatione sibi facta: sed sufficit generalis reuelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Vnde reuelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. Esset autem perfectior expositio, Ego te absoluo, id est, Sacramentum absolutionis tibi impedo.

lib. 2. c. 9.
in princ.
10. 6.

ARTIC. IV.

Vtrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum?

AD quartum sic proceditur Videtur, quod impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Mar. vii. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Aegri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio facienda.

513
4. cõ. gen.
c. 71. G
opus. 22.
c. 4.

¶ 2 Præterea, In sacramento poenitentiae recuperat homo Spiritum sanctum amissum: vnde ex persona poenitentis dicitur in Psalm. 50. Redde mihi læticiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Sed Spiritus sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Act. octauo, quod Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Et Matthæi decimonono dicitur, quod oblatus sunt Domino paruuli, vt eis manus imponeret. Ergo in hoc sacramento est facienda manus impositio.

¶ 3 Præterea, Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciam quam in alijs sacramentis. Sed in alijs sacramentis non sufficiunt verba ministri, nisi aliquæ adu exerceat: sicut in baptismo simul cum hoc, quod sacerdos dicit, Ego te baptizo, requiritur.

Ter. Par. Vol. ij.

H h

quiri-

quiritur corporalis ablutio. Ergo etiam simul cum hoc quod sacerdos dicit, Ego te absoluo, oportet quòd aliquem actum exerceat cū ea penitentem, imponendo ei manus.

SED contra est, quod cum Dominus dixit Petro, Quodcumque solueris super terram, &c. nullam mentionem de manus impositione fecit: neque etiam cū omnibus Apostolis simul dixit, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

RESPONDEO dicendum, quòd impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum: quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinē continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et idèd manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti: & in sacramento ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs. Vnde & 2. ad Timoth. 1. dicitur, Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Sacramentum autem penitentia non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ; sed ad remotionem peccatorum. Et idèd ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad baptismum; in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula perficienda: ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati, etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Domino. Mar. 6. quòd infirmos manibus impositis curauit: & Matth. 8. legitur, quòd leprosum mundauit per contactum.

Ad secundum dicendum, quòd non quælibet acceptio Spiritus sancti requirit manus impositionem: quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum sanctum, nec tamè fit ibi manus impositio. Sed acceptio

Spi-

Spiritus sancti cū plenitudine requirit manus impositionem: quod pertinet ad confirmationem.

Ad tertium dicendum, quod in sacramentis, quæ perficiuntur in vſu materiæ, minister habet aliquem actū corporalem exercere circa eum, qui suscipit sacramenti: sicut in baptismo & confirmatione & extrema vnctione. Sed hoc sacramentum non consistit in vſu alicuius materiæ exterius appositæ: sed loco materiæ se habent ea quæ sunt ex parte pœnitentis. Vnde sicut in eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materia perficit sacramentum: ita etiam sola verba sacerdotis absoluentis super pœnitentem, perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competeret crucis signatio, quæ adhibetur in eucharistia, quàm manus impositio, in signum quod per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen nõ est de necessitate huius sacramenti, sicut nec de necessitate eucharistiæ.

ARTIC. V.

Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis?

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Psal. 125. † Qui seminant in lachrymis, &c. dicit gloss. Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, vnde meretur pax. Sed tristitia est de ratione pœnitentiæ, secundum illud 2. Corinth. 7. Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ergo bona voluntas sine pœnitentiâ sufficit ad salutem.

¶ 2 Præterea, Prouerbiorum decimo dicitur, Vniuersa delicta operit charitas: & infra 15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Sed hoc sacramentum non est nisi ad purgandum peccata. Ergo habendo charitatem & fidem & misericordiam, potest quisque salutem consequi, etiam sine pœnitentiæ sacramento.

514
*sup. q. 65.
 a. 1. co. et
 a. 2. ad 4
 et ar. 4.
 co et a. d.
 14 q. 2. a.
 5. et in
 pr. expo.
 lit. et 4.
 con c. 71.
 † Aug. in
 hoc loco
 to. 8.*

H h 2 ¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Sacramenta Ecclesiæ initiū habent ab institutione Christi . Sed sicut legitur Ioan octavo, Christus mulierem adulteram absoluit absque pænitentia . Ergo videtur , quòd pænitentia non sit de necessitate salutis .

S E D contra est , quod Dominus dicit Luc. octavo , Si pænitentiam non habueritis , omnes simul peribitis .

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid est necessarium ad salutem dupliciter . Vno modo absolute : alio modo ex suppositione . Absolute quidem necessarium est ad salutem illud , sine quo nullus salutem consequi potest : sicut gratia Christi , & sacramentum baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur . Ex suppositione autem est necessarium sacramentum pænitentia: quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato subiacentibus . Dicitur enim 2. Par. vii. Tu Domine Deus iustorum non posuisti pænitentiam iustis, Abraham & Isaac & Iacob, iis qui tibi non peccauerunt . Peccatum autem cum consummatum fuerit , generat mortem : vt dicitur Jacobi primo . Et ideo necessarium est ad salutem peccatoris, quòd peccatum remoueat ab eo. Quod quidem non potest fieri sine pænitentia: Sacramento: in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere pænitentis , qui cooperatur gratia ad destructionem peccati . Sicut enim dicit Augustinus * super Ioannem, Qui creauit te sine te, nõ iustificabit te sine te . Vnde patet quòd sacramentum pænitentia: est necessarium ad salutem post peccatum: sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculosum incidit .

Ad primum ergo dicendum , quòd gloss. * illa videtur esse intelligenda de eo , cui adest bona voluntas sine interpolatione , quæ fit per peccatum : talis enim non habet tristitia: causam . Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia , qua quis dolet de peccato peccato :

* ex trz.
72. colli.
10. 9.
de verb.
Apostol.
1er. 15. 10.
10.
est. in ar.

rito : quod pertinet ad p̄nitentiam.

Ad secundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides & misericordia non liberant hominem à peccato sine p̄nitentia. Requirit enim charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico homo studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat iustificari à peccatis. Requirit etiam & ipsa misericordia ordinata, ut homo subueniat p̄nitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit: secundum illud Prouerbiorum 14. Miseros facit populos peccatum. Vnde Eccl. 30. dicitur, Miserere animæ tuæ, placens Deo.

Ad tertium dicendum, quod ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit (ut supra dictum est *) pertinet quod Christus effectum sacramenti p̄nitentiæ, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulteræ sine exterioris p̄nitentiæ sacramento; licet non sine interiori p̄nitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

ARTIC. VI.

Vtrum p̄nitentia sit secunda tabula post naufragium?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod p̄nitentia non sit secunda tabula post naufragium. Quia super illud Isa. 3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, dicit glos. * Secunda tabula post naufragium, est peccata abscondere. P̄nitentia autem non abscondit peccata, sed magis ea reuelat. Ergo p̄nitentia non est secunda tabula.

¶ 2 Præterea, Fundamentum in ædificio, non tenet secundum, sed primum locum. P̄nitentia autem in spirituali ædificio est fundamentum, secundum illud Hebr. 6. Non rursus iacentes fundamentum p̄nitentiæ ab operibus mortuis; vnde & præcedit ipsum baptismum, secundum illud Act. 2. P̄nitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Ergo

H h 3 p̄ni-

q. 64 a. 3.

515
4. d. 2. q.
1. a. 2. qd
5. et d. 14
qu. 1. a.
qu. 4. c.
d. 16. q. 4.
a. 1. q. 1.
ad 1.
* gl. Hic.
in illu lo
cum, to. 5

penitentia non debet dici secunda tabula.

¶ 3 Præterea, Omnia sacramenta sunt quædam tabulæ, idest remedia contra peccatum. Sed penitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum, vt ex suprædictis patet*. Ergo penitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

q. 65. a. 1
& 2.

Hie. sup.

illud Esa.

3. pecca-

tu suum

quasi So-

doma, 10.

5. & id

hæc Mag.

in 4. sen.

dis. 15. in

princ.

SED contra est, quod Hieron. † dicit, quod secunda tabula post naufragium est penitentia.

RESPONDEO dicendum, quod id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens: sicut & substantia prior est accidente. Sacramenta autem quædam per se ordinantur ad salutem hominis, sicut baptismus, qui est spiritualis generatio; & confirmatio, quæ est spirituale augmentum; & eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum. Penitentia autem ordinatur ad salutem hominis quasi per accidens, supposito quodam, scilicet ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, penitentia non indigeret: indigeret tamen baptismo & confirmatione & eucharistia. Sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur: indigeret autem homo per se ad vitam, generatione, augmento, & nutrimento. Et ideo penitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui confertur & conseruatur per sacramenta prædicta. Vnde & metaphoricè dicitur secunda tabula post naufragium. Nam sicut primum remedium mare transeuntibus, est vt conseruentur in nauî integra; secundum autem remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ, est quod homo integritatem seruet; secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per penitentiam redeat.

Ad primum ergo dicendum, quod abscondere peccata contingit dupliciter. Vno modo, dum ipsa peccata fiunt. Est autem peius peccare publicè quàm occultè.

occultè : tum quia peccator publicus videtur ex ma-
 iori contemptu peccare, tum etiam quia peccat cum
 scandalo aliorum. Et ideò quoddam remedium est
 in peccatis, quòd aliquis in occulto peccet. Et secū-
 dum hoc dicit* glos. quòd secunda tabula post nau-
 fragium est peccata abscondere, non quod per hoc
 tollatur peccatum sicut per pēnitentiam : sed quia
 per hoc, peccatum fit minus. Alio modo aliquis ab-
 scondit peccatum prius factum per negligentiam
 confessionis : & hoc contrariatur pēnitentiæ. Et sic
 abscondere peccatum non est secunda tabula, sed
 magis contrarium tabulæ : dicitur enim Prouerb. 28.
 Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.

*citata in
 arg. 1.*

Ad secundum dicendum, quòd pēnitentia non
 potest dici fundamentum spiritualis ædificij simpli-
 citer, idest, in prima ædificatione : sed est funda-
 mentum in secunda reædificatione, quæ fit per de-
 structionem peccati. Nā primo redeuntibus ad Deū
 occurrit pēnitentia. Apostolus tamen ibi loquitur
 de fundamento spiritualis doctrinæ. Pēnitentia au-
 tem, quæ baptismum præcedit, non est pēnitentiæ
 sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd tria præcedentia sa-
 cramenta pertinent ad nauem integram, idest, ad
 statum integritatis, respectu cuius pēnitentia dicitur
 secunda tabula.

ARTIC. VII.

*Utrum hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua
 lege institutum?*

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd hoc
 sacramentum non fuerit conuenienter institu-
 tum in noua lege. Ea enim quæ sunt de iure natura-
 li, institutione non indigent. Sed pēnitere de ma-
 lis, quæ quis gessit, est de iure naturali : non enim
 potest aliquis bonum diligere, quin de contrario
 doleat. Ergo pēnitentia non fuit conuenienter in-
 stituta in noua lege.

516
 4.d.21.q.
 2.ar.3.

¶ 2 Præterea, illud quod fuit in veteri lege, insti-
 tuen-

tuendum non fuit in noua. Sed etiam in veteri lege, fuit pœnitentia: vnde & Dominus conqueritur Hierem. 28. dicens, Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Ergo pœnitentia non debuit institui in noua lege.

art. præc. ¶ 3 Præterea, Pœnitentia consequenter se habet ad baptismum, cum sit secunda tabula, vt supra dictum est*. Sed pœnitentia videtur à Domino instituta ante baptismum: nam in principio prædicationis suæ dixisse Dominus legitur Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

*q. 62. a. 5
q. 64.
art. 1.* ¶ 4 Præterea, Sacramenta nouæ legis institutionem habent à Christo: ex cuius virtute operantur, vt supra dictum est*. Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum, cum ipse non sit vsus eo sicut alijs sacramentis quæ ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

SED contra est, quòd dicit Dominus Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

*ar. 3. hu-
ius quæst.* RESPONDEO dicendum, quòd (sicut supra dictum est*) in hoc sacramento actus pœnitentis se habet sicut materia: id autem quod est ex parte sacerdotis, qui operatur vt minister Christi, se habet vt formale & completiuum sacramenti. Materia verò etiã in alijs sacramentis præexistit à natura, vt aqua; vel ab arte, vt panis: sed quòd talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed forma sacramenti & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum. Sic ergo huius sacramenti materia præexistit à natura: (ex naturali enim ratione homo mouetur ad pœnitendum de malis quæ fecit) sed quòd hoc vel illo modo homo pœnitentiã agat, est ex institutione diuina. Vnde & Dominus in principio præ-

prædicationis suæ indixit hominibus, vt non solū pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent, significans determinatos modos actū, qui requirūtur ad hoc sacramentū. Sed id quod pertinet ad officiū ministrorum, determinauit Matt. 16. vbi dixit Petro, Tibi dabo clauēs regni cœlorum, &c. Efficaciā autem huius sacramēti & originē virtutis eius, manifestauit post resurrectionem Luc. vlt. vbi dixit, q̄ oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionē peccatorū in omnes gentes, præmissō de passione & resurrectione: ex virtute enim nominis Iesu Christi patiens & resurgens hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic patet conuenienter hoc sacramentum in noua lege institutum fuisse.

Ad primum ergo dicendum, q̄ de iure naturali est, quōd aliquis pœniteat de malis quæ fecit quantum ad hoc quōd doleat ea fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quōd etiam aliqua signa doloris ostendat: sicut & Niniuitæ fecerūt, vt Ionæ 3 legitur. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam conceperant ex prædicatione Ionæ: vt scilicet hoc agerent sub spe veniæ consequendæ à Deo: secundum illud quod ibi legitur, Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Sed sicut alia quæ sunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis diuinæ (vt in secunda parte dictum est *) ita etiam & pœnitentia.

Ad secundum dicendum, quōd ea qua sunt iuris naturalis, diuersimode determinationem accipiunt in veteri & in noua lege: secundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni nouæ legis. Vnde & pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit: quantum quidem ad dolorem, vt esset magis in corde, quàm in exterioribus signis: secundum illud Ioel 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quantum autem ad remedium, doloris quærendum, vt aliquo modo ministris Dei

1. 2. q. 99
et 110. 2.
1. q. 95,
art. 2.

Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Vnde Dominus Leuit. 5. dicit, Anima si peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemq; peccati: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei. In hoc enim ipso quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur: & secundum hoc dicitur Prou. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Nondum autem erat instituta potestas clauium, quæ à passione Christi deriuatur: & per consequens nondum erat institutum, quòd aliquis doleret de peccato, cum proposito subiiciendi se per confessionem & satisfactionem clauibus Ecclesiæ, sub spe consequendæ veniæ, virtute passionis Christi.

Ad tertium dicendum, quòd si quis recte consideret ea, quæ Dominus dixit de necessitate baptismi Ioan. 3. tempore præcesserunt ea quæ dixit Matth. 4. de necessitate pœnitentiæ. Nam id quod dixit Nicodemus de baptismo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo postea subditur, quòd baptizabat: illud vero quod de pœnitentia dixit Matth. 4. fuit post incarcerationem Ioannis. Si tamen prius ad pœnitentiam induxisset, quàm ad baptismum; hoc ideo esset quia etiam ante baptismum requiritur quædam pœnitentia: sicut & Petrus dicit Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.

q. 39. a. 1. Ad quartum dicendum, quòd Christus non est vsus
 ¶ 2. baptismo, quem ipse instituit: sed est baptizatus ba-
 in ep. 108 ptismo Ioannis, vt supra dictum est*. Sed nec etiam
 t. 2. Habe actiue vsus est suo ministerio: quia ipse non bap-
 tur etiã zabat communiter, sed discipuli eius: vt dicitur Io. 4.
 lib. 3. de Quamuis credendum sit, quòd discipulos suos bap-
 anim. ¶ zauerit: vt August. * dicit ad Celeucianum. Vfus au-
 eius ori. tem huius sacramenti ab eo instituti nullo modo sibi
 c. 9 t. 7. competeat: nec quantum ad hoc quòd ipse pœni-
 teret,

teret, in quo peccatum non fuit, neque quantum ad hoc quod hoc sacramentum alijs præberet: quia ad ostendendam misericordiam & virtutem suam, effectum huius sacramenti sine sacramento præbebat: ut supra dictum est*. Sacramentum autem Eucharistiæ & ipse sumpsit, & alijs dedit: tum ad commendandam excellentiam huius sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale suæ passionis, in qua Christus est sacerdos & hostia.

ar. 5. huius q. ad 3.

ARTIC. VIII.

Utrum pœnitentia debeat durare vsque ad finem vitæ?

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non debeat durare vsque ad finem vitæ. Pœnitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed pœnitens statim consequitur remissionem peccatorum: secundum illud Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita viuet, & non morietur. Ergo non oportet ulterius pœnitentiam protendi.

517
Inf. a. 9.
ad 1. et 4
d. 17. q. 2
a. 4. q. 1.
q. 2.

¶ 2 Præterea, Pœnitentiam agere, pertinet ad statum incipientium. Sed homo de hoc statu debet procedere ad statum proficientium, & ulterius ad statum perfectorum. Ergo non debet homo pœnitentiam agere vsque ad finem vitæ.

¶ 3 Præterea, Sicut in alijs sacramentis homo debet seruare statuta Ecclesiæ, ita & in hoc sacramento. Sed secundum canones determinata sunt tempora pœnitendi, ut scilicet ille qui hoc vel illud peccatum commiserit, tot annis pœniteat. Ergo videtur, quod non sit pœnitentia extendenda vsque ad finem vitæ.

SED contra est, quod † Aug. dicit in lib. de pœnit. Quid restat nobis nisi semper dolere in vita? ubi enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Si vero pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia?

in l. de vera et sal. pœn. c. 13
cir. med.
to. 4.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est pœnitentia, scilicet interior & exterior. Interior quidem

quidem pœnitentia est qua quis dolet de peccato commisso. Et talis pœnitentia debet durare vsque ad finem vitæ. Semper enim debet homini displicere quòd peccauit: si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis est homo in hac vita. Post hanc vitam autem sancti non sunt susceptiuus doloris. Vnde displicebunt eis peccata præterita sine omni tristitia: secundum illud Isai. 65. Oblivioni tradita sunt angustia priores.

¶ Pœnitentia vero exterior est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, & verbotenus peccata sua confitetur sacerdoti absoluenti, & iuxta eius arbitrium satisfacit. Et talis pœnitentia non oportet quòd duret vsque ad finem vitæ, sed vsque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

Ad primum ergo dicendum, quòd vera pœnitentia non solum remouet peccata præterita, sed etiam præseruat hominem à peccatis futuris. Quamuis igitur homo in primo instanti veræ pœnitentiæ restitutionem consequatur præteritorum peccatorum: oportet tamen in homine perseverare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad secundum dicendum, quòd agere pœnitentiam interiorem simul & exteriorem, pertinet ad statum incipientium: qui scilicet de nouo redeunt à peccato. Sed pœnitentia interior habet locum etiam in proficientibus & perfectis: secundum illud Psal. 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum. Vnde & ipse Paulus dicebat primæ Cor. 15. Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.

Ad tertium dicendum, quòd illa tempora præfiguntur pœnitentibus, quantum ad actionem exterioris pœnitentiæ.

Vtrum pœnitentia possit esse continua?

518

4.d.1.9.

1.a.4.2.1

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non possit esse continua. Dicitur enim Hier. 31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis. Sed hoc esse non possit, si pœnitentia continuaretur, quæ consistit in ploratu & lachrymis. Ergo pœnitentia non potest continuari.

¶ 2 Præterea, De quolibet bono opere debet homo gaudere, secundum illud Psalm. 99. Servire Domino in lætitia. Sed agere pœnitentiam est bonum opus. Ergo de hoc ipso debet homo gaudere. Sed non potest homo simul gaudere & tristari: ut patet per Philosophum in 9. Ethic. Ergo non potest esse, quod pœnitens continue tristetur de peccatis præteritis, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non potest esse continua.

¶ 3 Præterea, Secundæ ad Corinth. 2. Apostol. dicit, Consolamini, scilicet pœnitentem, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Sed consolatio depellit tristitiam, quæ pertinet ad rationem pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non debet esse continua.

SED contra est, quod Aug. † dicit in lib. de pœnitentia, Dolor in pœnitentia continue custodiatur.

*in lib. de
ue. et sal
sa pœn. c.
13. cir. fo
ed. 4.*

RESPONDEO dicendum, quod pœnitere dicitur dupliciter, secundum actum, & secundum habitum. Actum quidem impossibile est, quod homo continue pœniteat: quia necesse est quod actus pœnitentis, siue interior siue exterior, interpoletur ad minus somno, & alijs quæ ad necessitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur pœnitere secundum habitum. Et sic oportet quod homo continue pœniteat: & quantum ad hoc quod homo numquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur: & quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere, quod semper sibi præterita peccata displiceant.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod ploratus & lachrymæ ad actum exterioris penitentia pertinent, qui non solum non debet esse continuus, sed nec etiam oportet quod duret vsque ad finem vitæ: vt dictum est *. Vnde & signanter ibi subditur, Quia est merces operi tuo. Est autem merces operis penitentis, plena remissio peccati, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: post cuius consecutionem non est necesse quod homo ulterius exteriorem penitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuïtas penitentia, qualis dicta est *.

ar. prac.

ari. prac.

Ad secundum dicendum, quod de dolore & gaudio dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi. Et sic nullo modo possunt esse simul: eo quod sunt omnino contraria, vel ex parte obiecti, (puta, cum sunt de eodẽ) vel saltem ex parte motus cordis: nam gaudium est cum dilata tione cordis, tristitia vero cum contractione. Et hoc modo loquitur Philosophus * in 9. Ethicorum. Alio modo possumus loqui de gaudio & tristitia, secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel displicet. Et secundum hoc non possunt habere contrarietatem nisi ex parte obiecti, puta, cum sunt de eodem, & secundum idem. Et sic non possunt simul esse gaudium & tristitia: quia non potest simul idem secundum idem placere & displicere. Si vero gaudium & tristitia sic accepta non sint de eodem secundum idem, sed vel de diuersis, vel de eodem secundum diuersa: sic non est contrarietas gaudij & tristitia. Vnde nihil prohibet hominem simul gaudere & tristari: puta, si videamus iustum affigi, simul placet nobis eius tristitia, & displicet eius afflictio. Et hoc modo simul potest alicui displicere quod peccauit, & placere quod hoc ei displicet cum spe venia: ita quod ipsa tristitia sit materia gaudij. Vnde & August. dicit * in lib. de Penitentia, Semper doleat penitens, & in s. 1. 4. de dolore gaudeat. Si tamen tristitia nullo modo

s. cita. in

arg. 2.

¶ de ve.

et fal. pœ

nit. c. 13.

in s. 1. 4.

com-

compateretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas pœnitentiæ, sed actualis.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum * in secundo Ethicorum, ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Tristitia autem, quæ in appetitu sensitivo pœnitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quædam est. Unde moderanda est secundum virtutem; & eius superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem. Quod significat Apostolus ibidem, dicens, Ne maiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Et sic consolatio, de qua ibi Apostolus loquitur, est moderatiua tristitiæ: non autem totaliter ablatiua.

ARTIC. X.

Utrum sacramentum pœnitentiæ debeat iterari? 519

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum pœnitentiæ non debeat iterari. Dicit enim Apostolus Hebr. 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & gustauerunt cœlestis donum, & participes sunt facti Spiritus sancti, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiã. Sed quicumque pœnituerunt, sunt illuminati, & acceperunt donum Spiritus sancti. Ergo quicumque peccat post pœnitentiã, non potest iterato pœnitere.

4. d. 14. q. 1. ar. 4. q. 3. & art. 5. q. 2. & Hebr. 6. col. 3.

¶ 2 Præterea, Ambros. * dicit in lib. de pœnitentia, Reperiuntur qui sæpius agendam pœnitentiã purant, qui luxuriantur in Christo. Nam si vere in Christo pœnitentiã agerent, iterandã postea non putarent: quia sicut vnum est baptisma, ita & vnica est pœnitentia. Sed baptismus non iteratur. Ergo nec pœnitentia.

in l. 2. de pœn. c. 10 post med. to. 1.

¶ 3 Præterea, Miracula, quibus Dominus infirmitates corporales sanauit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur à peccatis. Sed non legitur quod Dominus aliquem cœcum bis illuminauerit, vel quod aliquem leprosum bis mundauerit, aut aliquem mortuum bis susci-

fufcitauerit. Ergo videtur, quòd nec alicui peccatori bis per pœnitentiam veniam largiatur.

Ho. 34. 7. euan post me. illius 7 lib. 2. c. 16. in pri. 7 habe- tur de pœ nit. di. 3. c. irrisor. ¶ 4 Præterea, Gregor.* dicit in Homil. Quadra- gelima, Pœnitentia est antea acta peccata desistere, & desistenda iterum non committere. Et † Isidor. dicit in lib. de summo bono, Irrisor est & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Si ergo aliquis vere pœniteat, non iterum peccabit. Ergo non potest esse quòd pœnitentia iteretur.

¶ 5 Præterea, Sicut baptismus habet efficaciam ex passione Christi, ita & pœnitentia. Sed baptis- mus non iteratur propter vnitatem passionis & mor- tis Christi. Ergo pari ratione nec pœnitentia iteratur.

Hoc ha- bet Amb. ser. 8. in Esal. 118. ante me- to 4. re- fertur 23. q. 4. c. est iniusta. ¶ 6 Præterea, Ambros.* dicit, quòd facilitas ve- niam frequenter præbet per pœnitentiam, videtur quòd ipse hominibus præbeat incentiuum delin- quendi. Et sic videretur delectari in peccatis: quod eius bonitati non congruit. Non ergo potest pœni- tentia iterari.

SED contra est, quòd homo inducitur ad mise- ricordiam, exemplo diuinæ misericordiæ: secundum illud Luc. 6. Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. Sed Dominus hanc misericordiam, discipulis suis imponit, vt sapius remittant fratribus contra se peccantibus. Vnde sicut dicitur Matth. 18. Petro quærenti, Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies? respondit Iesus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Ergo etiam Deus sapius per pœnitentiam, veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos pe- tere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit- timus debitoribus nostris.

RESPONDEO dicendum, quòd circa pœni- tentiam quidam errauerunt, dicentes non posse ho- minem per pœnitentiam secundo consequi veniã pec- catorum: quorum quidam, scilicet Nouatiani hoc intantum extenderunt, vt dicerent post primam pœnitentiam, que

quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per
pœnitentiam iterato restitui. Alij verò fuerunt hare-
tici (vt August. * dicit in lib. de pœnit.) qui post ba-
ptismum dicebant quidem esse vtilem pœnitentiam,
non tamen pluries, sed semel tantum. c. 5. 30. 4.

Videntur autem huiusmodi errores ex duobus
processisse. Primo quidem ex eo, quòd errabant cir-
ca rationem veræ pœnitentiæ. Cum enim ad veram
pœnitentiam charitas requiratur (sine qua non de-
lentur peccata) credebant quòd charitas semel ha-
bita non possit amitti; & per consequens pœnitentia
si sit vera, nunquam per peccatum tollatur, vt sic
fit necesse eam iterari. Sed hoc improbatum est * 2. 2. 7. 24.
in Secunda parte, vbi ostensum est quòd charitas se-
mel habita, propter libertatem arbitrij potest ar. 11.
amitti, & per consequens post veram pœnitentiam,
potest aliquis peccare mortaliter. Secundo, ex eo
quòd errabant circa affirmationem grauitatis pecca-
ti. Putabant enim adeò graue esse peccatum quod
aliquis committit post veniam impetratam, quòd
non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem
errabant, & ex parte peccati (quod etiam post re-
missionem consecutam potest esse & grauius & le-
uius, quàm fuerit primum peccatum remissum), &
multo magis contra infinitatem diuinæ misericor-
diæ, quæ superat omnem numerum, & magnitudi-
nem peccatorum, secundum illud Psalms 50. Misere-
re mei Deus, secundum magnam misericordiam
tuam, & secundum multitudinem miserationum tua-
rum, dele iniquitatem meam. Vnde reprobatum ver-
bum Cain, dicentis Genes. 4 Maior est iniquitas mea,
quàm vt veniam merear. Et idèò misericordia Dei
peccantibus, per pœnitentiam veniam præbet absque
vllò termino: vnde dicitur 2. Paral. vlt. immensa &
inuestigabilis misericordia promissionis tuæ, super
malitiam hominum. Vnde manifestum est, quòd pœ-
nitentia pluries est iterabilis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia apud
Tertiz Par. Vol. ij. 1 i 1 u-

Iudæos erant secundum legem quædam lauacra instituta, in quibus pluries se ab immunditijs purgabant, credebant aliqui Iudæorum quod etiam per lauacrum baptismi aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum, Apostolus scribit Hebr. 6. quod impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursus renouari ad penitentiam, scilicet per baptismum, qui est lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, ut dicitur ad Titum 2. Et rationem assignat, ex hoc quod per baptismum homo Christo commoritur: unde subdit, Rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei.

Ad secundum dicendum, quod Ambr. loquitur de penitentia solemnī, quæ in ecclesia non iteratur, ut infra dicitur.

5. 5. 80. 4.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. * dicit in li. de penit. multos cæcos & in diuerso tempore Dominus illuminauit, & multos debiles confirmauit, ostendens in diuersis illis eisdem sæpe peccata dimitti: ut quem prius sanauit leprosum, alio tempore illuminet cæcum. Ideo enim tot saluauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne desperet de se peccator. Ideo non scribitur aliquem nisi semel sanasse, ut quilibet timeat iungi peccato: medicum se vocat, & non sanis, sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? medicorum enim est centies infirmum, centies curare: qui cæteris minor esset, si alijs possibilis ignoraret.

Greg. ho.

34. in euang.

† Magist.

4 sent. d.

14. S. A.

cir. med.

de pp. 3

5. 11.

Ad quartum dicendum, * quod penitere est ante acta peccata desistere, & stenda non committere: scilicet simul dum flet, vel actu, vel proposito †. Ille enim est irrisor & non penitens, qui simul dum penitet, agit quod penitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati.

Quod autem aliquis postea peccat, vel actu vel pro-

propofito; non excludit quin prima penitencia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequenter. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet: ita verè penituit, qui postea peccat.

Ad quintum dicendum, quod baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quædam spiritualis generatio cum spirituali morte precedentis vitæ. Statutum autem est hominibus semel mori, & semel nasci. Et ided semel tantum debet homo baptizari. Sed penitencia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio, quæ frequenter iterari potest.

Ad sextum dicendum, quod secundum Augu. * in lib. de penit. constat Deo multum displicere peccata: qui semper præsto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, nec corrumpatur quod amavit, scilicet per desperationem. *ca. 5. non longe à pr. to. 4. De pan. di. 3. c. 32*

QVÆST. LXXXV.

De sacramento penitencia, secundum quod est virtus, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de penitencia secundum quod est virtus.

- ¶ Et circa hoc quaruntur sex.
- ¶ Primo, utrum penitencia sit virtus?
- ¶ Secundo, utrum sit virtus specialis?
- ¶ Tertio, sub qua specie virtutis contineatur.
- ¶ Quarto, de subiecto eius.
- ¶ Quinto, de causa ipsius.
- ¶ Sexto, de ordine eius ad alias virtutes.

ARTIC. I.

Utrum penitencia sit virtus?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod penitencia non sit virtus. Penitencia enim est quoddam sacramentum alijs sacramentis connumeratum: ut ex * supradictis patet. Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque penitencia est virtus.

§ 20
 4. di. 24.
 q. 1. ar. 1.
 q. 2. c. 1.
 3. q. 1.
 cor. et ad
 2. c. q. 2.
 c. 4.
 * q. prac.
 a. 1. c. q.
 65. a. 10

ii 3 ¶ 2 Pra.